

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Commentarius in VIII libr. philosophicorum Arist.
exceptus a Michael Schweizer, mon. Salemitani professo -
Cod. Ettenheim-Münster 359**

Specius, Johannes

[S.l.], 1596

Druck: De motu. Disputatio praes. Alberto Danner, respond. Magno
Löcherer

[urn:nbn:de:bsz:31-132384](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-132384)

295



DE MOTV

DISPV TATIO
PHILOSOPHICA,
IN CELEBRI ACADEMIA

DILINGANA, DIE XXIII
Ianuarij publicè habita;

PRÆSIDE
ALBERTO DANNER,
SOCIETATIS IESV, PHILOSOPHIAE PROFESSORE ORDINARIO.

Respondente
VIRTVTIS ATQVE ERVDITIONIS
LAUDE, PRÆSTANTI IUVENE, MAGNO
Löcherer, Vmenhofens, Artium &
Philosophia Baccalaureo.



DILINGÆ,
Excudebat IOANNES MAYER.



(1596)



PROPUGNATORI
THESIVM CONDI-
SCIPVLO.

Non posset tibi materies offerri vlla,
Quæ magis apta tuis viribus esse
queat.

Magnus enim, Lõcherer, nec tan-
tùm nomine Magnus,
Vèrum etiam culto Magnus es ingenio.
Materies magna est, cõplectitur omnia, Motus,
Omnia nam Tellus quæ fouet, illa mouet.
Ordine cuncta quadrant in te, ter Magnus ha-
beris,
Scilicet Ingenio, N omine, Materia.
Perge igitur, Magni Motus ter Magne Pa-
trone:

Te, quartũ Magnum, Gloria nempe, manet.

HIEREMIAS VNFRID,
Landspergensis, Philoso-
phiæ Baccalaureus.

Z θ

NOBILI, STRE-
 NVOQVE VIRO AC DO-
 MINO IOANNI ACHILLI ILSVNGO,
 D. IN KHVENENBERG ET LYNDIA, SACRAE
 CAESARAE MAIESTATI A CONSILIIS, & C. Do-
 mino ac Patrono suo plurimum ob-
 feruando, S.



TSI EA EST OMNIUM PAR-
 tium totius Philosophiae praestantia
 vt neminem scientiae ardore aestuan-
 tem in maximum sui amorem non
 rapiant, in demirationem non in-
 ducant, in defixam ac intentam co-
 templationem non impellat, rerum
 tamen naturalium motus (cuius vel
 ipsae species oculorum aspectui ob-
 iectae, splendore suo summo opere ho-
 minum mentes oblectant) id singulari praereliquis modo fa-
 cere consuevit. Nam si vtilia amamus, nobilia admiramur,
 subtilia contemplantur, an non summo nos Motus amore,
 summa admiratione, summoque contemplationis studio capi
 necesse erit? enim vero si motus vtilitatem consideres, ea tibi
 vel mediocrem mentis aciem intendenti perquam varia occur-
 ret; si eiusdem materiam, reperies profecto nobilissimam; si
 etiam subtilitatem, infinitis propemodum tricis intricatam:
 quae enim cognitio humanis visibus magis inseruire potest, quam
 illa, quae ad latentes abditasque naturalium effectorum causas
 & ipsarum causarum vim, & perfectionem videndam magna
 ex parte monstrat viam? aut quae nobilior hac potest esse
 doctrina, ex qua progressa est Philosophia ad inuestigationem
 tum earum mentium, quae coelestes sphaeras circumuoluunt,
 A 2 tum

Magnus Lochner

GNATO
 I CONDI
 VLO.
 bimateries
 gis aptat uo
 ueat.
 min, Locher
 mine Magn
 Magnus es ing
 lectitur omni
 a sonet, illa
 in te, ter Mg
 mine, Mater
 Motu ter Mg
 on, Gloria nep
 HIEREMIAE
 Landspogent
 puz Baccant

tum etiam supremæ causæ, id est, Dei, in quem ut in omnium rerum fontem & originem motum omnem desinere necesse est? aut quæ demum subtilitate implicatio potest esse difficultas philosophica, in qua enodanda tot præstantissimorum acutissimorumque ingeniorum libri sunt tori? Hac igitur de re positiones quasdam discutiendas positurus, apud animum meum proposui, cum huic negotio præficere, cuius magnis in rebus satis spectata esset prudentia atque nobilitata virtus: talem autem defensores, quem quisque sibi deposcit, cum pararem, tua protinus non inuocata oculos meos perstrinxit imago. Quod si ergo cum quem imago hæc mihi retulit, in patronum adoptavi, id factum ignoscere, hortabatur enim me ad hoc tua singularis in litteratos omnes facilitas ac benevolentia; hortabatur me grauißima nominis tui autoritas, quæ ut multa variæque terræ clymata, partim studiorum, partim aliarum præclarissimarum rerum gratiâ peragravit, ita multum eam ponderis huic meæ disputationi allaturam esse autumavi; hortabantur denique me maxima tua, quæ in me extant beneficia, nam ut cetera, quæ recensere nimis longum foret, tacitus præteream, hoc certè, quod caput esse videtur, leui saltem transcenna non possum non inspicere. Ecquid illud? quem viuus pater incultam tolerare vitam voluerat, cum tu patre defuncto, iis primùm litteris, quæ ab ipsa humanitate nomen sortitæ sunt, excolendū, dein verò mysteriorum philosophicorum notitia in hac Nobili Dilingana Academia initiandum tradidisti. Quare hæc supra repetens, vi quasi adducor, ut nisi ore sim durissimo animoque ingratißimo, ad alium præter te, hanc disputationem deferre nequam possim. Quod si ergo hunc meum conatū qualem qualem grata ad te cymba properasse cognouero, faxo profectò, ut olim vltro currenti te calcar addidisse experiaris. Vale. Dilingæ, postridie Epiphaniæ Domini. M. D. xcvj.

Strenua D. T.

Observantißimus.

Magnus Löcherer.



DE MOTV PHY-
SICO IN COMMVNE,
DISPVATIO PHILO-
SOPHICA.

Motus naturam, cuius cognitio nō
minus difficilis quam Philosopho
naturali utilis, necessaria, ac pro-
pria est, duabus partibus comple-
cti lubet, vt prima explicet causas ac principia
Motus, secunda eiusdem Affectiones.

PARS PRIMA:
DE PRINCIPIIS AC
CAVSIS MOTVS.



ASSERTIO I.
VID NOMINIS MOTVS SEV
Mutationis generatim sumpta, vt de-
ducit Philosophus in 5. Phisic. c. 1. t. 7.
ex ipso vocabulo *μεταβολη* latine mu-
tatio (quod *μετ' αλλοτι*, id est, post a-
liud aliquid, & hoc quidem prius illud
posterius significat) est tendentia ali-
cuius subiecti ex aliquo in aliquid siue
ex vno in aliud, late sumptis his vocabu-
lis, pro

A 3

lis, pro ente & non ente. Et rectè, quod enim seruat eandem dispositionem, non dicitur mutari.

II. Mutatio sic latè accepta (pro vera tamen actione & passione, qua subiectum per se aliter nunc habet quàm prius, qualis non est acquisitio noua relationis) duas generales quasi species adequatas cohibet, 1. Motum proprie dictum, quem Aristot. t. 7. citato vocat mutationem à subiecto in subiectum & in sequenti t. 9. sine adiectione Motum. 2. Mutationem strictè, qua & versatur inter terminos à quo & ad quem contradicentes seu priuatiuos, & subdividitur in mutationem à subiecto ad non subiectum, & in mutationem à non subiecto in subiectum: prior appellatur ab Arist. etiam corruptio, posterior, Generatio, & utraq. Arist. est duplex, simpliciter seu substantialis, & secundùm quid seu accidentalis.

III. Mutationem substantialem non esse Motum ostendit Arist. ex quid nominis Motus, quod in citato c. 1. 1. 8. & 9. supponit esse id, cuius & subiectum sit ens simpliciter seu ens actu substantiali, manens in potentia ad actum accidentalem, quod in 1. de Ortu c. 4. t. 24. materiam improprie & aliquo modo dictam vocat; & cuius termini sint contrarij. Generationem autem & Corruptionem substantialem ait versari inter terminos à quo & ad quem contradicentes, & pro subiecto inhesionis habere ens in potentia seu non ens simpliciter sine ut in cit. t. 24. loquitur, materiam propriissime sumptam.

IV. Ens actu in proposito est vel ipsa substantia composita ex materia & forma, vel sola materia prima quatenus requirit hanc conditionem sine qua non, ut semper actuata maneat aliqua forma substantiali, iuxta diuersam de accidentium subiecto inhesionis sententiam. Ens in potentia est eadem materia prima, quatenus non requirit hanc conditionem, sed apta est actum aliquem substantialem recipere.

V. Termini, à quo & ad quem tenditur, contrarij requirunt has conditiones. 1. ut sint reales ad distinctionem terminorum mutationis.

tionis. 2. impossibiles, ac specie & quandoq; etiam re distincti, secus non posset alter terminus abire & alter acquiri, quia cum terminus ad quem agenti à quo producitur sit similis, si etiam terminus à quo eid. agenti à quo eicitur, esset similis, ac proinde non contrarius ac diuersus specie, frustra ab eo corrumpetur. 3. ut ex natura sua vendicent latitudinem ac diuisibilitatem quandam propter quam fiat, ut nec terminus à quo corrumpi, nec terminus ad quem produci ab agente naturali totus simul, sed tantum per partes in eodem subiecto sibi succedentes possit; dum namq; mobile perfectè est in termino à quo, nondum mouetur, dum perfectè in termino ad què, desit moueri. Quare ut dicatur verè moueri, oportet ut existat partim in utroq; termino, ac proinde partim sit in actu partim in potentia, quod fieri nõ poterit nisi termini habeant latitudinè.

V. Hac latitudo seu distantia terminorum secundum quam fit Motus, latè funditur. Alia enim est summa, qualis cernitur inter contraria strictissime sumpta, quæ definiuntur extrema sub eod. genere maximè distantia, & per propriam actionem ab eod. subiecto vicissim sese expellentia, ut inter summum calorem & frigus. Alia est non summa, eaq; rursus varia, intensiõis seu graduum ut in qualitatibus; extensiõis seu excessus ac defectus, ut latitudo 5. cubitorum inter quantum vnius cubiti & quantum sex cubitorum; & latitudo formæ quæ successiuè ratione vnius partis acquiritur, & ratione alterius perditur, qualis cernitur inter diuersa Vbi, vel potius inter principium & finem eiusdem loci. Ad omnem motum aliqua harum contrarietatum requiritur & sufficit.

VII. Ex terminis contrarijs sic declaratis, & partim ex subiecto quod semper est extensum, oritur successio, quæ constituit Motus propriè dicti essentiam, contentam illa definitione Arist. in 3. Physic. c. 2, t. 6. Actus entis in potentia ut in potentia est. Definitum huius definitionis ex Arist. etiam mente, non est Motus ut distinguitur contra omnem mutationem, sed ut accipitur pro quauis successiuâ accidentali mutatione, quæ scil. aũt actus entis in actu

actū substantiali, siue inter terminos reales sunt contradicentes ver-
setur: in qua etiam acceptione negat Arist. Generationem & Cor-
ruptionem substantialem esse Motum, t. 8. 5. Phys.

VIII. Quoad definitionis huius particulas, etsi Motus est vtrū-
que seu actus & perfectio, non absoluta (quo pacto Anima in 2. de
Ani. c. 1. definitur vtrūque corporis organici) sed inchoata tan-
tū, ut pote via & progressio ad ipsam perfectionem absolutam, ab
utroque, tamen abstrahit nomen (actus) in definitione Motus positum,
& ad actum imperfectum qui partim est partim non est, tendens
tamen continue ad completam perfectionem, respicitur per sequen-
tem particulam (entis in potentia ut in potentia) quasi genus per
differentiam quandam.

IX. Nomine entis in potentia intelligere Arist. ipsum mobile
seu motus subiectum, clarè indicant & exempla omnia ad declaran-
dam definitionem ab ipso subiuncta, qua pertinent ad mobile, &
definitio illa, 3. Phys. c. 2. t. 16. Actus rei que & quatenus vim ha-
bet ut moueatur. Vbi loco entis in potentia ponitur mobile. Po-
test tamen etiam intelligi cum Simplicio ipsum mouens, sicut enim
per motum mobile deducitur ex potentia passiva ad actum, & suc-
cessiue mouetur, dum scilicet partim iam est actu motum, partim debet
amplius moueri, & ubi perfectè acquisierit formam, desinit moue-
ri; ita per eundem motum mouens ex potentia actiua exit ad effectum
suum, & successiue mouet, & ubi perfectè produxerit formam, ces-
sat mouere: vel potius ab utroque, abstrahit Motus formaliter, & v-
trumque, solum implicite & indifferentè significatur nomine entis in
potentia.

X. Vox (in potentia) insinuat vtrumque terminum, à quo & ad
quem: ad quid enim id quod mouetur est in potentia, nisi ad ter-
minum cuius gratia sit, & quo adeptò cessat motus? & quomodo ad
illum est in potentia, nisi actu sit in alio termino, quem possit desere-
re, ut ad illum ad quem est in potentia, perueniat?

XI. Potest tamen prædicta Motus definitio paulo aliter explicata,
sicut

sicut & fluxus seu transitus forma, non male accommodari (quid-
quid sit de mente Arist.) Generationi etiam precisè pro instantane-
a totius simul formæ substantialis introductione sumpta. Est enim
generatio hæc siue prima receptio, primum esse formæ substantia-
lis, actus & perfectio materia prima, omnium dispositionum com-
pleto apparatu instructa, quatenus ipsa iam est proximè & completè
apta recipere seu primò habere formam substantialem, quam imme-
diatè antè non habebat, habere tamen, incompletè apta fuit. Fluxus
quoque, tendentia ac transitus est à non esse formæ ad eiusdem esse
eo ipso, quòd (ut vocabulum prima receptio & primum esse formæ
indicat) extrinsecè connotat durationem immediatè præcedentem,
in qua forma non existit.

XII. Cum motu coniuncta est Actio & Passio, sicut & Terminus
ad quem: quæ tria, & mobili seu patienti insunt subiectivè (Motus
quidem 3. Phys. c. 2. t. 18. 19. & præsertim 20. & 9. Metaph. c. 9.
t. 16. Actio verò 3. Phys. c. 3. t. 19.) & inter se identificantur
(Actio enim & Passio cit. t. 18. 19. & præsertim 20. sunt unus idem-
que re ipsa Motus) & à Mobili re differunt, excepta latione.

XIII. Ead. hæc tria ratione ex natura rei à se inuicem dissident;
t. 21. & 22. lib. 3. Phys. nempe aut penes diuersos modos absolutos
sub eadem essentia, si Motus formaliter cum Fonseca dicatur ipsa
forma ab imperfecto esse ad perfectum successivè et sine interruptio-
ne ita fluens, ut parim sit acquisita & partim restet acquirenda;
& Actio consequenter ead. forma prout progreditur ab agente;
& Passio ead. forma, prout recipitur in patiente; & Terminus ad
quem ead. forma prout fluere cessavit: Aut penes diuersas essentias
sub ead. realitate, si cum aliis Motus formaliter statuatur esse ipse
fluxus, tendentia ac progressio formæ imperfectæ ad perfectiorem;
& Actio consequenter ipsa emanatio formæ ab agente; & Passio
ipsa receptio in patiente, sic enim motus essentialiter est quid suc-
cessivum, forma autem calor v. g. etiam dum acquiritur, minimè,
alioqui etiam post acquisitionem & finito motu essentialiter in suc-
cessionem consisteret.

XIV. Hinc sequitur etiam aliud discrimen, quod Motus ex sua ratione sit ens imperfectum & reducatur ad Categoriā sui termini ad quem, reliqua vero sint entia perfecta, quae vel constituunt diuersas Categoriā ut Actio & Passio, vel in diuersis Prædicamentis per se ponuntur, ut Terminus ad quem. Motus, ut Actionis & Passionis rationem habet, definit Arist. 3. Phys. c. 3. t. 23. actum eius quod & quatenus agere & pati potest.

XV. Motus propriè dicti & hæcenus explicati species proxima, & quarum nulla alteram complectitur, tres colligit Peripateticus 5. Phys. t. 18. Motus ad quantitatem, Alterationem & Lationem, ex eo quod trium tantum Prædicamentorum, Quant. Qualit. & Vbi entia, per se & nõ ratione alterius adiuncti acquirantur per motum; & rectè, si quantitas cum probabiliori & communiore sententia & à re quanta realiter distinguatur, & materia esse coeua negetur, secus enim tam terminata quantitas, quæ est alia atq; alia figura, quæ interminata, per accidens terminat motum.

XVI. Motus ad quantitatem subdividitur à plerisque in Accretionem, quæ sit progressio à minore ad maiorem quantitatem; & in Decretionem, quæ sit progressio à maiore ad minorem quantitatem; tanquam in duas species positiuas ac recales, sed male; cum Decretio sicut & Remissio qualitatum sint Motus essentialiter negatiui & corruptiones formarum, licet sepe extrinsecè & accidentariò connotent minorem formam per actum motu remanentem: qua de causa Arist. in 5. Phys. c. 2. t. 18. perspicuè numerat Decretionem inter Motus positiuos non tanquam speciem essentialem (sic enim Decretio & Remissio spectant ad 2. speciem Mutationis) sed tanquam accidentalem & aliquo modo, scil. extrinsecè. Quare unicus est verus Motus per se ad quantitatem, Accretio.

XVII. Planum hæcenus relinquitur, quemam sit causa materialis, & quæ formalis Motus. Materia enim seu subiectum Motus est ens actum substantiali, manens tamen in potentia ad formam accidentalem; Forma est ipsa Motus essentia iam explicata: sequitur.

zur causa Efficiens seu principium actiuum Motus, quod aliquando est ipsa natura seu forma eius quod mouetur, aliquando est extrinsecum principium.

XVIII. Accretionis, Decretionis (& ead. ratione aliarum quoque vitalium operationum, ut sentiendi, intelligendi, volendi, &c.) & latronis mixte ut progressionis, volatus, natatus, efficiens est anima eius quod his motibus mouetur, Latronis grauium & leuium (sive Elementorum sive Mixtorum) ad sua loca naturalia principium actiuum est duplex, alterum instrumentale, & hoc est internum, ipsa forma substantialis eorum qua sic mouentur, & qualitates motiua, 4. Phys. t. 86. & 4. de Coel. c. 3. t. 25. alterum principale & simpliciter actiuum, & hoc est externum, ipse generans, 5. Phys. t. 18, & 8. Phys. t. 17. 29. 32. & 2. Coeli t. 9. & 4. Coeli t. 25. & 1. de Ani. t. 19. & à t. 38. vsque ad 41. & c. 3. de Motu Animal. Eiusdem huius conditionis cum motu grauium & leuium sunt & illae alterationes perfectiuae, quib. subiecta natiuae qualitates contrarij actione labefactatas, integrè recuperant, ut aqua feruens natiuum frigus.

XIX. Alterationis proprie dictae seu corruptiuae (& pari modo ipsius Corruptionis ac Generationis substantialis) latronum caelestium, omniumq. motuum violentorum Efficiens est externum. In motibus violentis numeratur motus projectorum, quorum tamen motor principaliter & adaequatè non est aer (ut Arist. sentire videtur) sed ipse projector, prout is imprimit rei projectae qualitatem motricem sua substantiae vicariam, per quam tanquam per instrumentum separatum, censetur etiam absens continuare ac prosequi projectionem.

XX. Id quod de principio actiuo motus ferè localis seorsim & ex professo in 7. & 8. lib. Phys. docet noster Philosophus, quidquid mouetur ab alio moueri, id est, nullam rem per se primò sive secundum se totam & non per partem aut per accidens mouere se ipsam; sed moueri ab aliquo, quod vel supposito adeoque maxime

mè re distinguatur à mobili, cuiusmodi est mouens externum, vt manus proiciens lapidem; vel sit aliqua pars realiter distincta ab alia parte per se mota eiusdem suppositi quod mouetur, vt cum mouens est intrinsecum principium, cuiusmodi in animalib. est cor, (secundùm hoc enim per se mouent seipsa, & secundùm reliquas partes organicas ex corpore & anima constat per se mouentur à se-ipsis) id inquam partim verum, partim nec verum nec necessarium est.

XXI. Verum est imò & euidens, quidquid mouetur ad modum dictum, moueri saltem mediatè ab alio, quod nimirum mobili conferat esse ac virtutem mouendi fortè seipsum, et si motum ipsum non efficiat: euidens enim est omnes res quæ mouentur, accepisse totam suam naturam ac vim agendi seu mouendi quidpiam, à Deo Opt. Max. nec quicquam habere à seipsis. At omne quod mouetur secundùm se totum, moueri ab alio immediatè, quod scilicet efficiat motum (vt contendere videtur Arist. in 7. & 8. Phys.) nec verum est, quando & volendi ac intelligendi potentie adæquatè manant à substantia intellectuina, in eadè que recipiuntur; & ipsa voluntas per se primò elicit ac recipit suam volitionem; & Angelus carens parte per se mouente & parte per se mota, seipsum proinde per se primò & immediatè loco mouet: nec necessarium est, siquidem non repugnat corpori, vt se totum successiue variis applicet locis, tantùm enim sequitur, mobile locale fore simul in actu virtuali & in potentia formali, non autem (quod implicat) in actu formali & potentia formali, cum id quod se vel aliud mouet ad aliquem locum, non requirat vt ipsum prius sit actu in loco, sed sufficit vt in se contineat eam perfectionem, qua possit sibi vel alteri acquirere locum certum, id quod est esse in loco secundùm actum tantùm virtualem.

XXII. Ex maxima ista (Quidquid mouetur ab alio mouetur) sic declarata ostendere conatur Arist. in 7. Phys. c. 1. t. 3. vsq. ad t. 9. & lib. 4. Phys. c. 3. 4. & 5. t. presertim 34. & 2. Metaph. c. 2. non dari processum infinitum in mouentibus essentialiter subordinatis. Cate-

rum existere aliquod mouens simpliciter primū, quo nec secundum durationem nec secundum naturam detur aliud prius, & à quo omnes effectus ac mutationes procedant ac gubernentur siue immediatè siue mediatè tantum, ac proinde Deum existere (idem enim est quid nominis Dei ac primi mouentis sic accepti) non videtur aliunde posse demonstrari, quàm ex implicatione multitudinis actus infinitæ.

XXIII. Finis intrinsecus Motus generatim & plerumque est quies in termino ad quem adeptus, siue conseruatio vel commodum aliquod rei quo mouetur, & alterationis finis extrinsecus est corruptio & generatio. Hac de principiis ac causis Motus.



PARS SECVNDA:
DE PASSIONIBVS
MOTVS.

ASSERTIO. XXIV.

MOTVI proprie dicto primū quadruplex accidit continuitas. Primo enim est continuus ratione mobilis seu subiecti continui, 2. de Ortu t. 62. quemadmodum enim albedo & quoduis materiale accidens per extensionem subiecti in ipso diffunditur, ita & motus sic toti inest mobili, ut partes vnius respondeant partibus alterius. Et propter hanc continuitatem motus maioris mobilis est maior, & motus minoris minor. Secundo ex-

B 3

tenditur

tenditur motus continuè propter continuitatem spacij seu magnitudinis qua motu continuè pertransitur, 4. Phys. cit. t. 99. & 5. Metaph. c. 13. t. 18. Tertio est quantus & continuus propter tempus teste Arist. in Categoria Quantitatis. Et his tribus continuitatibus Motus est per accidens & extrinsecè quantus & continuus.

XXV. Quarto Motus est continuus (intrinsecè in secundo modo dicendi per se) continuitate propria & à cuiusvis alterius rei continuitate distincta, 4. Phys. t. 104. ubi distinguitur aliud prius & posterius in tempore, aliud in magnitudine & aliud in motu. Et in citatis text. 99. & 18. tempus pronuntiatur quantum, propter motum quantum & continuum.

XXVI. Manat hæc quarta continuitas ab eodem fonte à quo ipsa Motus successio, seu acquisitio successiva, in Latatione quidem à continuitate magnitudinis supra quam sit Latio, in Alteratione vero & Augmentatione à continuitate formæ, qua motu non tota simul sed per partes acquiritur: nam Motus est quantum ac continuus propter continuum spacium in quo sit, cit. t. 99. lib. 4. Phys. Et Motus est quantus non propter id quod mouetur, sed propter id quod (vel ut alij legunt) quod motum est, hoc est, acquisitum per motum, cit. 4. 18. lib. 5. Metaph.

XXVII. Neque verò his duobus locis Arist. mens fuit, quod Motus nullam aliam, præter spacij vel termini ad quem continuitatem deponat, sic enim nec tempus (quod eod. t. 99. subiungitur esse continuum per motum continuū) per se foret quantum, contra claram Arist. in Categoria Quant. doctrinam; sed sensus est (quem admodum ut obiq. se ipsum declarat Arist.) peculiarē Motus extensionem in rerum natura existere non posse, nisi magnitudo supra quam sit, fuerit continuus; quia verò spacium per quod sit motus, acquiritur successivè & per partes absq. interposita quiete, ideo et ipsa latio successiva continua sit oportet continuitate propria. Idem dicendum de continuitate termini ad quem respectu Alterationis & Augmentationis, & de continuitate temporis respectu continuitatis Motus.

XXVIII. Differt tamen *continuitas* Latioris & *continuitas* ceterorum Motuum, illa enim contenta est spacio etiam contiguo (ut cum lapis ex aëre per aquam ad fundum descendit) hac requiritur semper medium & terminum ad quem continuum, seu unam numero qualitatem aut quantitatem, qua sine ulla successione interruptione acquiritur. Cuius discriminis causa in promptu est, quod latior non identificetur cum spacio seu locis partialibus qua pertranscuntur, sicut reliqui motus cum termino ad quem, sed cum ipso mobili aliter atq; aliter in spacio continue se habente, ad quod sufficit ut spacium sit contiguum.

XXIX. Quia igitur Motus quantus ac continuus est, quantum autem 5 Metaph. t. 18. describitur diuisibile in ea qua insunt; sequitur hac altera proprietas, quod motus sit diuisibilis in partes extensionis quadruplicis, iuxta quadruplicem continuitatem. Ratione enim primæ continuitatis in has diuiditur partes, ut prima pars Motus sit ea qua mouetur prima pars mobilis, caput v. g. in animali, secunda qua mouetur secunda, v. g. pectus &c. ratione secundæ continuitatis, prior pars latioris est, qua fit in priore parte spaci, posterior qua in posteriori; ratione tertie continuitatis, quemadmodum totus motus quo transiit totum spacium, durat v. g. integram horam (cum omnis motus fiat in tempore) ita una pars motus est, qua fit in una parte temporis & dimidia qua in dimidia; ratione quartæ continuitatis prima pars motus dicitur, qua acquiritur continue prima pars termini ad quem, secunda qua secunda, &c. Primam & tertiam Motus diuisibilitatem ex instituto docet Arist. 6. Phys. c. 4. t. 34. & 36. xxx. Partes Motus ex propria continuitate ei competentes, sicut & cuiusvis alterius continui, physice seu reipsa & actu finitæ sunt, semperque aliqua earum est prima & aliqua vltima (alioquin Motus actu nec incipere nec desinere unquam posset, & mobile tardissimum aequè citò ac velocissimum percurreret idem spacium) diuisione autem, potestate & mathematicè sunt infinitæ, omnem enim continuum in semper diuidua diuiduum est, 6. Physic. c. 1. t. 3.

c. 1. t. 3. nullāq. earum est prima aut ultima, sed quamlibet partem motus preit mutatum esse, & quodlibet mutatum esse prait motus, c. 6. t. 52. & 55. Et hac distinctione partium continui in partes phycas & mathematicas facile soluit Arist. in 6. Phyl. c. 2. t. 29. & c. 9. t. 77. & sequentib. & 8. Phyl. c. 8. t. 68. ratiunculas Zenonis conantis evertere motum sensui notissimum.

XXXI. Motus secundum partes phycas incipit per primum sui esse & desinit per ultimum esse, secundum partes mathematicas & precisē ut quanta sunt spectatas, incipit per ultimum sui non esse, & desinit per primum non esse. Priores duo modi incipiendi & desinendi vocantur instantia intrinseca, eo quod res in illis existant, posteriores duo dicuntur instantia extrinseca, eo quod res non existant in illis, sed post vel ante. Iisdem modis incipiunt ac desinunt tempus, quies, & entia permanentia que & quatenus cum motu incipiunt, siue per expulsionem contrarij, ut calor cum calefactione per expulsionem frigoris, siue sine expulsionem contrarij, ut lumen a sole moto productum in aere.

XXXII. Cetera res permanentes qua habent esse indivisibile, quales 1. sunt substantia ortui ac interitui obnoxia, 2. qua proprie creantur, ut Angelus, anima rationalis, cæli, integra Elementa, materia prima, 3. que ad unicum momentum durant, ut instantia temporis, indivisibilia motus que mutata esse nuncupantur, & interdum volendi ac intelligendi actus (est enim in potestate substantia intellectiva, huiusmodi actus continuare.) 4. lumen a quiescente luminoso productum, v. g. a Sole eo instanti quo creatus fuit, in tota regione sua sphaera, hæc inquam res incipiunt per primum sui esse, & desinunt aut desinerent ordinariē per primum sui non esse, exceptis ijs solis, que post unicum momentum in quo extiterunt evanescent, hæc enim desinunt per ultimum sui esse.

XXXIII. Possent Angelus & Anima humana extraordinariē etiam creari (adeoq. incipere) per ultimum sui non esse, non quidem accommodatē ad naturam temporis, quasi successivē & per partes producerentur, temporeque mensurarentur (iam enim scilicet partibus

partibus constarent, & sic à propria natura exciderent) sed dum tempus fluit, producerentur & existerent in se toti simul; quo pacto Deus etiamnum, quocumque initio creauit, in quolibet instanti & dum tempora decurrunt, conseruat, totum ipsorum esse ipsis conferendo indiuisibiliter & sine ulla interna ipsis successione. Eademq. de causa annihilari ac desinere possent per ultimum sui esse, praesertim cum instantia ac mutata esse, actionesque momentanea volendi ac intelligendi de facto sic desinant, quantumuis indiuisibilia sint. Haecenus 2. proprietates.

XXXIIII. Tertia affectio; Motus omnis & quies fit in tempore, 6. Phys. c. 3. t. 29. & c. 6. t. 50. motus enim successio continua cum habeat partes priores & posteriores, consistere nequit sine mora diuisibili, quae proinde & passio Motus dicitur, & desinitur numerus motus secundum prius & posterius 4. Phys. t. 101. At Generatio & Corruptio substantialis ex natura sua mutationes sunt instantaneae, cum versentur circa formas indiuisibiles, 6. Phys. t. 45. indiuisibiles inquam secundum intensionem, nam per accidens ratione subiecti extensi possunt esse diuisibiles, ac proinde etiã diuisibiliter abijci & acquiri, ut forma ignis in ligno.

XXXV. Quarta passio Motus, quidquid mouetur diuiduum sit oportet, 6. Phys. c. 3. t. 32. Vnde & indiuisibile mathematicum seu quantitatis & quod positionem habet in continuo ut punctum vel linea, quanquam de facto per accidens mouetur latatione, ad motum nempe continui in quo est, si tamen diuina virtute à suo subiecto separatim cohaerere, suãq. deinde relinqueretur natura, ne latationem quidem continuam per se subire possit, cod. lib. 6. c. 10. t. 86. merito enim ad omnem motum requirit Philosophus, cod. lib. 6. c. 3. t. 32. & c. 4. t. 33. & c. 5. t. 40. continuitatem non spaci tantum, sed ipsius quoq. mobilis. Cum enim per se ac ratione sui super tota aliqua magnitudine cieri, non sit aliud quã per se ac ratione sui singulis magnitudinis partibus adaequari ac commensurari, indiuisibile autem non nisi indiuisibili adaequari possit, si indiuisibile possit
C per se

per se continè moueri, planè fatendum est, quod omnes inficiantur, et magnitudinem ex indiuisibilibus tantùm partibus constare, & indiuisibilia in continuo esse immediata.

XXXVI. Posset tamen punctum v. g. diuina virtute per se moueri continua latione, si (vt non repugnat) à Deo acciperet virtutalem quandam diuisibilitatem, consistentem in modo quodam supra naturam sibi addito, per quem punctum quoad situm partem maiori, hoc est, diuisibili commensuraretur, sicut sacrum Christi Domini corpus in Eucharistia per modum quendam supra omnem naturam sibi communicatum, cuius parti specierum Sacramentalium quantumlibet exigua, atque adeo multo se minori, respondet secundùm se totum.

XXXVII. Hac virtuali diuisibilitate puncto concessa, clarè patet ex continuo puncti motu minimè sequi, quod linea constet ex solis indiuisibilibus, siquidem punctus licet in se partibus careat, non soli tamen puncto spatij, sed lineæ commensuraretur; quo pacto etiam Angelus etsi impartibilis est, quia tamè per virtutalem suam extensionem ac diuisibilitatem spatio diuisibili coëxistit, ideo continè moueri potest per spatium, nisi ad punctum spatij se se contraheret (quod Angelum posse, rectè inter alios auctores concedunt D. Tho. & Scotus, cum Angelus materiæ sit expers, nec à corpore locum dependeat) in hoc enim casu discretè moueretur Angelus, propter eadem absurda, quæ ex motu continuo puncti separati naturæ sue relictæ sequi diximus.

XXXVIII. Quinta proprietas; vt Motus omnis fiat in medio pleno, quando re ipsa nullum agens corporeum potest primò agere in distans, siue agere in rem, cui nec secundùm suppositum nec secundùm virtutem aliquam suam actiuam separatam inter agendum sit coniunctum. Posito tamen diuinitus Vacuo (quod in 4. Phys. c. 7. t. 60. & 1. de Cœlo c. 9. t. 99 describitur locus seu superficies carens corpore) posset in eo corpus aliquod moueri, sed tantùm latione, cui non nisi successina seu temporanea.

XXXIX.

XXXIX. *Accidunt præterea motibus ac mutationibus inter se comparatis quedam, quæ Arist. tradit in 5. Physic. c. 3. & reliquis, ut esse unum vel plures seu diuersos genere, specie essentiali vel accidentali, numero; esse contrarios essentialiter vel accidentaliter. Quoad unitatem ac diuersitatem essentialem, unius generis motus vocat Arist. c. 4. t. 31. quorum termini ad quos in ead. ponuntur Categoria, plures genere, quorum in diuersis. Motus eiusd. vel diuersæ speciei essentialis, requirunt unitatem vel distinctionem specificam essentialem, principaliter terminorum ad quos ultimatorum, secundariò & consecutiue terminorum etiam à quibus ultimatorum, & (in sola latione) mediij formaliter, neutro verò modo Motoris.*

XL. *Terminus ultimus est quem motus per se attingeret sublatis omnibus impedimentis, quæ ex parte vel mediij vel mobilis vel mouentis contingere possunt: Terminus non ultimus dicitur, in quo de factò sistit motus, non tamen nisi propter impedimentum extrinsecum. Medium lationis formale, est unum vel plura corpora siue eiusd. siue diuersæ speciei, inter locum à quo receditur & locum ad quem acceditur, interiecta, quæ ut quantæ siue continuæ siue contiguæ à mobili percurruntur. Et hoc medium differt specie, cum per ipsum aliquid fertur secundùm lineam rectam, & aliud secundùm lineam circularem.*

XLI. *Vnus numero seu continuus motus indiget unitate numerali mobilis, termini ad quem, temporis quod non interrumpatur media quietis mora, 5. Physic. c. 4. t. 34. & motoris, 8. Physic. c. 6. t. 49. & c. 10. t. 82. qui vel simpliciter vel æquiuolenter sit vnus, consecutiue autem termini etiam à quo. Si vel vnus horum unitas numerica desideratur, iam motus ille abit in multitudinem numeralem.*

XLII. *Motus essentialiter contrarij sunt, quorum positivi termini ad quos inter se (& secundariò termini à quibus inter se) specie differunt, ut calefactio & frige factio. Mutationum*

contrarietas essentialis v. g. ortus & interitus ignis, et si expedi-
tius sumi potest penes terminos formaliter sumptos, placuit tamen
Arist. eam petere ex solis terminis positivis, quo unus & ad quem
alterius mutationis. Motus ei soli quieti aduersatur, qua est sub
termino à quo, vt calefactio aquae repugnat quieti, qua aqua tene-
batur sub frigore. Quies sub termino à quo aduersatur quieti
sub termino ad quem, vt quies in frigore quieti in calore.

XLIII. Contrarietates motuum ac quietum bifariam discre-
pant, 1. Motus magis contrariatur motui quam quieti, vt calefa-
ctio frigefactioni magis quam quieti sub frigore, eò quòd calefa-
ctio admittat frigus in gradu remisso ac proinde quietem sub fri-
gore, nullum tamen alium motum, ne remissum quidem admit-
tit. 2. Motus per se primò contrariatur motui, quies quieti se-
cundariò, ratione terminorum quibus insunt. Ead. de causa quies
sub termino à quo, contrariatur quieti sub termino ad quem.

XLIV. Eiusdem speciei accidentalís sunt quilib. duo motus na-
turales vel violenti. Accidentariò differunt & contrariantur
motus naturalis & violentus. Vox (naturale & violentum) in v-
nitatē, diuersitate & contrarietate latronum accipitur strictè,
in reliquorum motuum vnitatē & c. latè. Motus uaturalis, strictè
sumpto naturali, dicitur is, qui conuenit subiecto vel secundum na-
turam eius priuatam, vt aquae descenderē, vel secundum vniuer-
salem naturam, & vt pars vniuersi est, vt aqua per fistulam ascen-
dere ad impediendum vacuum. Violentus motus, strictè sumpta vo-
ce (violentum) est non tam is qui repugnat priuatae naturae subie-
cti (quo pacto violentum adhuc strictius sumitur & definitur ab
Arist. 3. Ethic. cuius principium est extra, passo non conferente
vim, & adde, sed renitente) quam is motus qui subiecto ita re-
pugnat secundum naturam eius particularem, vt tamen nec secun-
dum vniuersalem naturam, nec vt est in potentia Dei obentia, ei-
dem conueniat v. g. proiectio lapidis sursum.

XLV. In hac violenti & naturalis significatione reliqui motus,
prater

præter lationes, non nisi naturales esse possunt. Omnis enim accretio & decretio in gygantibus etiam, qui ob nimiam corporis magnitudinem monstra habentur, fit ab intrinseco principio sui subiecti, & omnis generatio substantialis est secundum inclinationem naturalem materiae primæ, quæ sicut est in potentia naturali ad quamuis formam substantialem suscipiendam, ita consequenter appetit naturaliter mutationes, per quas formas suscipit. Corruptio substantialis (sicut & alteratio corruptiua) est secundum naturam vniuersalem, cum à natura ordinetur tanquam medium ad generationem alterius substantiæ. Alteratio demum omnis vel est secundum naturam priuatam subiecti, vt calefactio qua ignis ad natiuum calorem reducitur, vel est secundum naturam vniuersalem & ad vniuersam conseruationem, vt calefactio qua aqua incalescit aut propter vsus hominum, aut vt corrumpatur, ex qua deinde generetur aliud, v. g. ignis.

XLVI. Naturale latè sumptum appellatur, quod fit seruatò ordine, tempore, ac modo natura vsitato; violentum, quod fit tempore ac modo natura insucto. Et in hoc sensu non solum generatio contrariatur corruptioni & accretio decretioni, sed etiam generatio generationi, vt tempestiuus florum ac fructuum ortus intempestiuo rosarum aut fructuum ortui, qualem perhibent fuisse in hortis Adonidis, qui ad eum finem aquis calidis irrigabantur, Platone ac Plutarcho testibus; & corruptio corruptioni, vt mors senum morti iuuenum; & accretio accretioni, & decretio decretioni, vt cum aliquis homo paulatim augetur vsque ad floridam seu consistentem ætatem, & in extrema deinde ætate imminuitur (quæ est naturalis accretio & decretio) & alius homo propter cibi ac deliciarum affluentiam citius pubescit, aut ob morbum grassantem qui nutriendi facultatem retardat, ante extremam ætatem decrescit; & alteratio alterationi, vt cum aegrotus conualescit diebus criticis, est naturalis alteratio, cum extra dies criticos, est violenta alteratio.

XLVII. Atq; diuersitatem ac contrarietatem motuum ex naturali ac violento utrius in sensu petitam, accidentariam tantum esse, vel inde perspicere, quod nemo concesserit, calefactionem qua ignis vel à seipso vel ab alio igni ad perfectum caloris gradum reducitur, specie essentiali distingere à calefactione, qua aqua incalcescit, & tamen illa calefactio igni est naturalis, hac aqua violenta quoad primariam saltem aqua naturam. Ead. est ratio lationis naturalis & violenta, quemadmodum enim principium lationis v. g. leuitas ita determinatum est, ut subiectum cui à natura insidet, v. g. aërem, ad locum non nisi natium vehat, ad concuum scil. ignis, alienum autem subiectum ad non natium, ut exhalationem qua substantia terrea est, ad mediam regionem aëris; ita principium calefaciendi v. g. est determinatum, ut ignem aliq; subiecta quib. naturaliter inest, non nisi ad statum natura ipsorum congruentem perducatur, aliena verò subiecta ad statum non naturalem: quare si dua huiusmodi calefactiones non essentialiter differunt & contrariantur, nec dua similes lationes.

XLVIII. Motus naturalis ac violentus differunt 1. penes principium actiuum; ille enim sit à principio interno, hic ab externo. 2. penes modum, naturalis enim motus velocior est in fine quam initio, contra motus violentus, ut projectorum, initio quam in fine est velocior 5. Phys. t. 61. & 8. Phys. t. 76. & 2. Cœli t. 35. Ille quidem ob impulsum à projectore impressum, qui initio intensior est, & paulatim euanescit; hic propter accidentarium quendam impulsum, quem mobile post illud instans, quo extrinsecè incipit tendere in propriū locum, naturali quadā emanatione ex innata sibi grauitate vel leuitate successiuè elicit & qui finito motu cessat, 1. Cœli t. 88.

XLIX. Vltimo, Motui recto proprium est, non posse continuari per reflexionem, propter specificam terminorum ad quos Motus directus & reflexus tendunt, diuersitatem, non autem vniuersè propter quietem mobilis in puncto reflexionis, ut assumit Arist. 8. Phys. c. 8. Quanquam enim mobile, semper quiescit tum in puncto reflexa
lationis

lationis per se ac naturalis, qua per spatium plenum & externa vi delatum, sua sponte seu absq; obstaculo in quod impingat, reflectitur; tum inter ortum sui ac interitum (materia enim substantia genita ad nouam formam substantialem excipiendam disponi non potest, nisi in tempore inter eius primum esse, & primum non esse interiecto) tum & consequenter inter accretionem & decretionem sui, cum inter ipsas propter adiunctam semper adgenerationem & corruptionem substantialem, necessario interiiciatur tempus; tum plerumq; inter oppositas alterationes, vt calefactionem & frigesactionem, attamen nec in puncto reflexionis localis per se ac naturalis, si moueretur per vacuum, quiesceret vnquam; nec necessario quiescit cum a seipso per spatium plenum mouetur, vt auis qua volatu aliquem locum attingit; nec vnquam quiescit in puncto reflexionis localis violenta seu per accidens, qua mobile regreditur propter obuium obstaculum siue fixum siue contrario motu sibi occurrens, modo mobile & obstaculum adeo dura sint, vt neutrum comprimatur alteriue cedat; nec quiescit necessario in puncto eius reflexe alterationis, qua mobile per suam formam substantialem ad naturam se reuocat temperiem, vt ignis ad perfectum calorem, neq; enim incommodum fuerit, vt primum non esse calefactionis aqua, sit vltimum non esse frigesactionis eiusdem.



EGREGIAE PIETATIS AC DOCTRINAE
IUVENI, MAGNO LÖCHERER,
harum thesium Assertori.



Dicit te Iuuenem, quisquis, lamigine prima,
Et primo cernit flore virere genas.
Si te de Motu disceptantem audiat, unum
MAGNE, ex Antiquis, te putet esse, Sophis.
Tantum iudicium, sibi hinc scientia tanta est.
Cum spargent anni tempora, quantus eris?

CASPARVS BAYR à Caldif,
Tyrolensis, συμμεταφυσικός.

